



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

IX. S. Gothardvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

S E C U L U M III.

IX, S. GOTHARDVS.

Dicitur ab aliis Godeardus & Bodardus, Trithemio teste multa gentilium millia Christo lucrari studuit, dum firmiter statuit vir esse laboris & doloris patientissimus. Mons geminus etiam hodie prope Moguntiam suspicitur, qui præbuit Gothardo amplum agendi & patiendi campum: supra alterum enim, montem Martis appellatum, vicini populi statuto tempore convenere, ut Drusi Romanorum Ducis memoriam renovarent & Dijs litarent. Montem hunc posteri jure meliori D. Jacobo dicatum novo dixerunt nomine Jacobinum. Mons alter, postea mons Martyrum & D. Albani appellatus, locus erat, in quo Christianorum plurimi catenis ligari, suppliciiis subjici, & morte crudelissima necari multo tempore consueverunt. supra montem utrumque pugnare, victoriam adversus tyrannos referre, & trophæi instar gloriosa Christi insignia figere gavisus est victor Episcopus: aras enim idololatrias impugnavit; idololatras unum Deum adorare docuit: captivos in vinculis solari, ad constantiam hortari, ad mortem fortissimè subeundam animare Christi athletas nunquam destitit. Ut verò certamen non tam verbis, quam factis perficeretur in dies amplius, in vicina montibus planitie ædem erexit Christi unius Dei honoribus dedicatam. S. Nicomedis aream dixerunt denique Christiani posteri. Cæterum quo maximè fato D. Gothardus è vivis excesserit, haud constat: in sacra valle, Dalhemium nunc dicta, sepultum primò, inde verò ad S. Albani locum translatum esse ab Hildeberto Archiepiscopo memorant, Pluribus annu-

meratum circa annum 221. Etiam scriptores Lutherani scribunt.
Annis 15. Moguntia Episcopus pugnavit. *Vide Cochleum, & Sueton.
de monte Martis.*

X.	S. Saphronius.	/	8.
XI.	S. Herigerus M.	/	4.
XII.	S. Rutherus M.	<i>Sed. an.</i>	20.
XIII.	S. Avitus.	/	22.
XIV.	S. Ignatius M.	/	13.
XV.	S. Dionysius.	/	26.

SECULUM IV.

XVI.	S. Ruthbertus.	/	12.
XVII.	S. Adelhardus.	/	10.

XVIII. S. LVCIVS.

S. Lucius II. cognomento Annæus natione Romanus, Ari-
anis in Catholico orbe propemodum universo jam tum
invalescentibus non unum tantum posuit obicem & statuit
aggerem; quare ab eorundem armatis partibus ligatus, & mox
in exilium ejectus, mortem oppetiit gloriosam, in Phrygia unà
cum duobus sociis Sacerdotibus Paulo & Crescentio fune suffo-
catus. Igitur tum inter vivos, tum mortuos iis promeritus est
extolli encomiis, quibus Lucium persecutus est *Trithemius* in gestis
S. Maximi vocans eundem *Virum Apostolicæ atque Sanctissimæ vitæ.* Sedit
an. 18. *vide Surium in vita S. Maximi.*

XIX. S. Ma-